1386

VALPERGA
DI CALUSO

LUDOVICUM
DE BREME

PA 6393
.E8 V35
1812

PA 6393
.E8 V35
1812
Copy 1

Valperga di Caluso, Tommaso.

THOMAE VALPERGAE

EPISTOLA HORATII AD AUGUSTUM

IN MORTE MAECENATIS

MUNERI CUM ALIIS LITERIS MISSA

AD AMPLISSIMUM VIRUM

LUDOVICUM DE BREME

EQUITEM INSIGNIS CORONAE FERREAE

IMPERATORI IN REGNO ITALICO A STIPE DISTRIBUENDA

PRAEFECTUM SACRIS AULICIS INSTITUTIONIQUE EPHEBORUM ETC.

PA6393
E8V35
1812

33
Horace

Gift
[illegible]
JAN 2 1910

97-191835

LUDOVICO DE BREME

THOMAS VALPERGA S. D.

Quum jamdiu et merito amem te in primis atque eximie, ac multa de te suavissima identidem recolam animo, illud saepe etiam in mentem recurrit, quod ante biennium epistolam ad me Italicis versibus edideris, insignem profecto quum luminibus et cultu omni, tum notis amoris erga me tui, quem solum intueri me juvat in laudibus mihi nequaquam tribuendis nisi adamares. Ego vero, qui jam tum senex admodum apud me constitutum habebam nihil amplius umquam scribere ligatis verbis, non poteram a proposito ideo discedere, ut ad quoddam tecum quasi certamen prodirem, epistola

11/54 ...
JUN 8 1887

ejusdem generis evulganda. Neque tamen conticescebam libens, donec tandem in mentem venit, quum quaedam approbare cupiam doctis hominibus, te rogare ut sinas totius te causae cognitorem adscribi atque exhiberi locupletissimum, in quo nempe omnia conspicua extent, quae ad causae cognitionem optari possunt. Rem igitur ab initio omnem perlege.

Sumpseram in manus Horatium Valarti (Parisiis 1770), ac forte oculus incidit in versus quosdam pag. xxxvj laudatos in adnotatione ad vitam Poëtae scriptore C. Suetonio; quos versus olim in animum induxeram falso tribui Cilnio Maecenati lugenti amicum vita functum. Itaque subiit cogitatio tum de injuria, quae homini fit, cui stulta imputantur, tum de inversione historiae, quam propterea Valartus post alios non est veritus conturbare. Nam, ut Suetonius refert, Maecenas obiit prior, unde consequitur ejus

non esse versus, quibus lugeatur, qui mortuus sit postea; quos contra Cilnio ne abjudicent Valartus, alii, malunt Suetonii verbis vim facere interpretando. Quod quum indignarer, rationesque disquirerem, quibus Cilnium vindicarem ab ea contumelia, multa versanti, quae ad rem facerent, profore etiam visum est si versiculis *Epicedii* commentitii epistola opponeretur Horatii ad Augustum, quae ut praestantioris aliquanto operae quam suscipienda de *Epicedio* disputatio, ita memorabilior sit futura. Quod inepte fortasse feci. Sed a disceptatione incipiamus.

Isidorus Ispalensis Originum lib. XIX cap. XXXII extremo, editionis Vulcanii, Basileae a. 1572, p. 479, habet haec: " Tinius purus „ est, primum in Bithinia fabricatus: quam „ olim tinam vocabant. Flaccus: *Lugente mea* „ *vita, nec smaragdos berillosque, mi Flacce,* „ *nec nitentes per candida margaritas quaero, nec* „ *cortinalis me perpolibit anulus, nec Iaspius ca-*

„ *pillus.*“ Verba, quae Flacci perhibet, recte puto a Jano Douza emendata, ut Valartus affert:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quaero,
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec iaspios lapillos.

Nisi excipienda prima vox est *lugens*, de qua dicam postea. Cetera manuscriptis consentiunt, a quibus nullam opem attulit huic loco F. I. du Breul Isidorum edens Parisiis a. 1601. Nam ne una quidem literula a Vulcanio in his verbis discrepat pagina 268, cui conferenda sunt adnotata p. 882. At consultis Bibliothecae Taurinensis, quos doctissimus ejus praefectus Josephus Vernazza indicavit mihi, Originum libris membranaceis tribus praestantioribus, inveni lectiones omnes Douzae confirmatas, *mihi* pro *mi* in codice I. II. 3 fol. CLXXXVJ; *margarita* in eodem, atque in I. IV.

14 f. 142; *quos thynica lima* pro *cortinalis me* in utroque, atque itidem in tertio I. III. 19. f. 106 (quod enim *tinica*, non *Thynica* in libris est, ut etiam in prima Isidori voce *Tinius* pro *Thynius*, id ad orthographiam solam pertinet) *perpolivit* habetur in I. II. 3, et I. IV. 14; *anellos* in I. II. 3, et I. III. 19; *iaspios lapillos* in omnibus, nisi quod I. III. 19, habet *iaspeos*. Duae reliquae emendationes certae sunt indicio metri, et sententiae, nimirum *que* deletum post *beryllos*, et *Nec* additum ante *percandida*.

Jam vero ut ad primam vocem accedamus, quae in omnibus est *lugente*, ea nequit sane leviore medicina adduci ad versus normam et *syntaxeos*, quam Douza fecerit. Sed si propterea de Maecenate cogitas, qui lugeret Horatium, tunc hi versiculi evadunt perabsurdi. Nam primum illud minus aptum, atque a natura est *mea vita* ad vita functum, per quem vitalis ideo jam tibi vita

videri nequit. Tum quid hoc rei est in hujusmodi luctus acerbitate non quaerere smaragdos, non beryllos, non margarita, non anulos, non iaspios lapillos? Si quis diceret se delicias ejusmodi non quaerere, quum amico fruitur, is magis aliquid mihi dicere videretur. At fortasse quum se dicit non quaerere, vult significare se oblivisci. Quî vero, quum tot verbis singillatim quaeque commemoret? At memorabat quidem, sed nullam jam inde capiebat voluptatem. Scilicet id Cilnius volebat omnes scire, in hominis amicissimi desiderio angi se dolore adeo ingenti, ut consolari nequiret gemmis aliquot adspiciendis, atque tractandis, ut crepundiis puer. Potuit, earum in amore curiosior, dignus esse, quem propterea, ut ferunt, Augustus aliquando per jocum assimulans irrideret. Sed ideone etiam credibile est ipsum imprudentem ludibrio semet habuisse ac deridiculo, ejusmodi versiculis, quales

poterat scribere, qui eum vellet satyrico lusu traducere tamquam bipedum, quotquot loquuntur, ineptissimum? Atqui in quo irrisus fuerat, non poterat non videre, quod inest irridendum. Sed quid adeo multa? Hominem cogita senem, aegrotum, in recenti amici funere vere dolentem, ac senties non potuisse ita nugari.

Quare si omnino hi versus habendi essent Maecenatis, eorum initio non *lugens* sed *legens* rescriberem. Nam Phalaecii prima brevi sunt satis frequentes, cujusmodi habes tres continuos initio carminis Catulliani XXXII; et *legens te* pro *legens versus tuos* ejusdem rationis est atque illa Horatii I. sat. X. *v*. 17.

. . . . . quos (viros) neque pulcher.
Hermogenes unquam legit.

et Ovidii in *Remediis amorum* v. 71

Naso legendus erat tunc, quum didicistis amare:
Idem nunc vobis Naso legendus erit.

qui nimirum scripserat:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Me legat.

Itaque dixerit Maecenas: quum lego te, Flacce mi dulcissime, tanta tuorum carminum pulcritudine ita delinior, ac suavissima voluptate perfundor, ut nihil jam quaeram, nihil desiderem delicias gemmarum, quamvis amator harum sim adeo, ut in studium hocce meum mecum jocari multis Augusto, quod non nescis, collibuerit. Qua in sententia non erat inepta illa tot gemmarum enumeratio, praesertim si easdem plerasque memorabat, quas Augustus ludens.

Nec tamen contendo, quum in prima syllaba *lu* consentiant libri omnes, eorum esse auctoritatem aspernandam, quum suspicari liceat esse versus ab homine confictos, qui legisset, sive in Macrobio, sive in antiquiore, unde sumpserit Macrobius, ea quae habentur l. 2.do Saturnalium capite IV, in quod jocos Augusti, quum alios congessit, tum

hunc retulit, quo epistolae cuidam ad Maecenatem subtexuerit: *vale, mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, iaspi figulorum, berylle Porsenae, carbunculum habeas, ἵνα συντέμω πάντα μαλάγματα moecharum.* Qui sensum habent urbanitatis, aegre, opinor, credent Augustum adeo prolixum in joco fuisse, quasi vereretur ne Cilnius se irrideri non intelligeret. Sed seu vere, seu falso ea verba scripta ferrentur ab Augusto, ab his ducere potuit argumentum, in quo luderet auctor versiculorum, sive is Flaccus aliquis fuit, quo nomine allegatur ab Isidoro, sive qui non ipse quidem Flaccus vocaretur, sed versus illos in codice quodam suo Flacci scripserit, nimirum Horatii (nam Valerii aut Persii minus foret verisimile) Isidorus autem, quod unum noverat, librum indicaverit, in quo legerat; quamvis indicium fallax nimia brevitas faceret. Nam qui

non librum composuerit, sed paucos versus, quos in morte Horatii scriptos confinxerit, is eos ad memoriam in Horatio suo, nulla addita de se auctore adnotatione, facile consignaverit: et falsa permulta comminisci ad argumentum, ut aliquid dicant, quod oblectet aut percellat, poëtae in primis, ut ingeniosi homines passim omnes, solent. Unde ingens fabellarum seges in Historia; quum pauci admodum satis caveant sibi, ne commentis ejusmodi adhibeant fidem, vel quum aliquid ferunt, quod subabsurdum aut non consentaneum sit minus incertis. De qua labe Historiae non plura dicam, cujusmodi non pauca Voltairius sub titulo *Ana*, *anecdotes*. Unum afferre libet exemplum affine meo proposito, quod fallit vulgo in vita Virgilii, quae Donato inscribitur, ubi laudatur Virgilius, qui non aegre ferret quum quidam sibi adscriberent quosdam ejus versus. Jam quibus verbis id de-

monstretur animadverte. *Quum enim distichon, quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore affixisset (id erat ejusmodi*

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Jove Caesar habet)

diu quaeritans Augustus, cujusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat: Bathyllus vero, poëta quidam mediocris, tacentibus aliis, sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque a Caesare fuit. Quod aequo animo non ferens Virgilius, iisdem valvis affixit quater hoc principium: Sic vos non vobis. *Postulabat Augustus, ut hi complerentur: quod quum frustra aliqui conati essent, Virgilius, praeposito disticho, sic subjunxit:*

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romae fabula fuit, Maro vero exaltatior. Distichon, quamquam non indignum quod et fecerit Virgilius, et contra subripientem asserere sibi non neglexerit, est tamen ejusmodi, ut a quovis alio poëta, immo ab eo etiam Bathyllo potuerit proficisci, qui Maecenati in deliciis erat, summus in Comoedia saltator et pantomimus, dummodo is, ut credibile est, etsi Alexandrinus, non tamen esset literarum Latinarum expers omnino. Nam in illo quod laudes, aut etiam admireris, pulcrum ac felix, id non magis est poëticae, quam aulicae, aut Gnathonicae disciplinae. In verbis nihil habet, quod prodat multam cum musis consuetudinem; quae tamen aliqua cernitur, si legimus in pentametro, ut editum est a Burmanno secundo in *Anthologia Veterum Latinorum*, Amstelaedami 1759, t. I. pag. 224.

Divisum imperium cum Jove, Caesar, habes.

Sed neque sic facultas versuum pangendorum in adeo brevi specimine agnoscenda erat egregia. Hanc tamen qualemcumque ut ostenderet in se uno reperiri, quid ferant Virgilium excogitasse perpende. Quater unum idemque hemistichium complendum proponit; quasi vero pateret epigrammatis laudati auctorem esse neminem posse, nisi qui non videret ad iniquum se certamen provocari, atque ineptum, ideoque detrectandum. Quid vero postquam aliqui conati prodiderunt stultitiam suam? Tunc vatem ferunt epigrammati in valvis praescripto subjunxisse: *Hos ego versiculos feci.* Si quis in tenebris occurrens familiaris quaerat: quis istic est? Respondere non stulte poteris: ego; vocem enim agnoscet. At scriptum in valvis illis *ego* non unum potius quam alium, qui scripsisset, significabat. Finxissent igitur saltem scripsisse Virgilium:

Hos Maro versiculos feci, laus parta Bathyllo est.

Quamquam hoc leve; illud non ferendum, quod volunt vatem, si quis unquam, sensu Pulcri atque Sublimis praestantissimum, sibi nihilominus in concinnitate quadam lusuque puerili similiter desinentium placuisse adeo, ut putaret eo specimine se omnibus demonstraturum quantus esset poëta: quum versiculi illi procul dubio demonstrent ingenium, at quale alicui tribuas non Virgilio, sed Orbilio, ut ipse etiam ludam similibus sonis. Quare exemplum hoc equidem habeo fabellarum, quae non caventibus obtruduntur, ac versuum, qui obscuro facti studio ignotorum hominum, magnis quandocumque nominibus sunt inscripti. Quamquam alii aliter; ac plerique a libris veteribus quum haberent auctoritatem, recentiore doctorum animadversione sunt explosi; contra vero a conjectura est recentiorum quorundam, quod inscribantur nunc Maecenati, quos superius ajebam per lusum videri confictos.

De quibus ut absolvam, quae dicenda sunt, fatear, oportet, mihi, quamvis satagenti, non succurrisse, nisi nuper demum, eos quaerere in memorata modo *Anthologia Veterum Latinorum.* Quam ego meae memoriae tarditatem neque miror, qui jamdiu eam deficere, meque jam crebro fallere ac destituere, heu! nimis saepe experiar, et in hoc saltem non doleo, quum huic oblivioni fortasse debeam totam hanc ad te, amice optime, commentationem et carmen. Nam si statim in ea Anthologia legissem, quae sunt adnotata ejusdem primi voluminis p. 412-415, poteram facile nihil amplius quaerere, neque excogitare. Ibi enim quae Burmanno probantur, nec Maecenati sunt injuriosa, et tempora nequaquam perturbant ejus mortis atque Horatii. Etenim de initio versuum, quod in textu, nescio cur, editum est *Lugent, o mea vita*, Burmannus in annotatione suo suffragio plane confirmat sententiam, cujus

auctores aut suffragatores laudat Scriverium, Andream Schottum, Salmasium, Alciatum, Massonium, qui omnes legunt *Lucentes, mea vita:* qua emendatione non satis quidem apparet quid toto carmine spectaverit, qui panxit; at nihil reliquum est cur eum nolis esse Maecenatem. Vide modo hic rescriptum, ut legitur in adnotatione Salmasii ad *Historiae Augustae Scriptores*, Parisiis a. 1620., p. 412.

Lucentes, mea vita, nec smaragdos:
Berillos mihi, Flacce, nec nitentes:
Nec percandida margarita quaero:
Nec quos Thynia lima perpolivit
Anellos; nec iaspios lapillos.

Ubi quod *Thynia* est sine *c*, id quamquam contra consensum est librorum, quos indicavi, placere tamen ideo potest, quia versus ab Isidoro sunt allati ad vocem *Thynius*, quae in libris, quos viderim, omnibus est sine *c*. De Thynia autem, quae regio est in Bithynia septentrionali ad Euxinum vide Cellarium

t. II. p. 240, et Jo. Ant. Vulpium ad Catullum xxv. *v.* 7, et xxxi. 5.

Restat ut dicam de ratione temporum, per quam nequit carmen funebre in Horatium haberi Maecenatis. Afferam autem primo verba Suetonii, ad quae adnotatio pertinet Valarti, quam suscepi refutandam. Ea igitur, ut ipse edidit, haec sunt: *Maecenas quantopere eum dilexerit, satis testatur eo epigrammate*,

> Ni te visceribus meis, Horati,
> Jam plus diligo, tu Titî sodalis
> Ginno me videas strigosiorem.

Sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio, Horatii Flacci, ut mei esto memor. De epigrammate consulere licet Burmannum in Anthologiae jam bis indicato volumine p. 415. Nobis satis est quod Suetonius non neniam Flacco Cilnium cecinisse refert, sed extremis eum flagranter Augusto commendasse. Nam quod post alios Valartus id fac-

tum interpretatur testamento, quod Cilnius triennio aetatis supremo insomnis atque aeger sive scripserit, sive nuncupaverit, praemoriturum se putans, quod contra evenerit, hoc somnium est rei, quae sane poterat fieri, at non iis verbis tradi, quae perpendimus. Etsi enim quod fuisset testamento factum aliquot ante mortem menses, dici factum poterat *extremis tabulis*, non ideo itidem referendum erat factum *extremis* simpliciter et absolute. Adde modo, quod a Suetonio postremum de Horatio perhibetur: *Humatus et conditus est extremis Esquiliis juxta Maecenatis tumulum.* An vivi adhuc? Hoc vero fuisset disertim significandum, ne legentes falleret, quibus erat pronum cogitare, eo id factum, quia, quum Esquilias tunc, ibique omne jus sepeliendi heres Maecenatis haberet Augustus, idemque heres Horatii officium procurandi ejus funeris ac sepulcri, clientem voluerit compositum juxta patronum, a quo

fuerat sibi singulariter commendatus. Constat praeterea ex Dionis Cassii libro LV. 7 (edit. Hamburgi a. 1752 p. 777) obiisse Maecenatem a. V. C. 746, Asinio Gallo, et Marcio Censorino Coss., quibus consulibus teste Suetonio decessit Horatius quinto kalendas decembres. Supererant igitur ad anni finem dies omnino triginta quatuor, in quos interitus conjici Maecenatis potest, at eum adhuc tum valetudine usum satis commoda, ut vacaret scribendis versibus in amici mortem, iisque nugacibus, id vero probabiliter dici nequit ab his certe, qui letalem ejus invaletudinem eam autument, qua, teste Plinio H. N. l. VII. c. LII, febri laboravit insomnis tres continuos annos.

Singula animo versa, quae Tranquillus narrat, facile intelliges fieri omnia minus veri similia, nisi prior sit Cilnius vita functus. Neque ambiges quin id ipse putaverit Historicus, qui novisse optime censendus

est, quandoquidem natus post Horatii obitum annos circiter septuaginta et octo, floruit Romae, ibique multam ac diligentem dedit operam iis cognoscendis, quae de claris traderet Grammaticis, Rhetoribus, Poëtis nominis Romani. Neque obest, quod falsus tamen cernatur in ratione putanda annorum vitae Horatii. Nam in facillimis, quia minus cavent, errant interdum alioqui diligentissimi: ac si quis vellet in Suetonio annorum numerum habere veriorem, quam indicationem consulum, tum adhuc serius annis duobus vita foret Horatii producenda. Nam de ejus natali, sexto idus decembres, Lucio Cotta, et Lucio Torquato Coss. a. V. C. 689, non solum eumdem Tranquillum habemus testem, sed Poëtam ipsum, quum alibi, tum ubi librum suum, primum epistolarum, his dimittit:

Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Qui consules quum fuerint a. V. C. 733, demptis 44, habes natalem annum eumdem V. C. 689, cui si addis 59, quot attribuit Tranquillus vitae Horatii, prodibit supremus a. V. C. 748. Jamdiu autem sentio me pluribus disputare quam sit opus, ut obtineam, quod ultro omnes dabunt statim atque viderint mendosos illos apud Isidorum versiculos vel non esse Maecenatis, vel non lugentis Horatium.

Ad carmen igitur accedamus, de quo illud primum scire te volo, ejus mihi scribendi causam praecipuam fuisse ut munusculum haberem, quod ad te mitterem, quale avebam. Argumentum, statim atque ejus me subiit cogitatio, visum est ejusmodi ut expectandum jam non putarem opportunius meae voluntati. Itaque protinus impetu quodam animi aggressus illud sum, de viribus nihil cogitans, an vel exiguae illae, quibus olim interdum quaedam latinis versibus lusi, adhuc suppeterent. De quo tuum erit judi-

cium. Unum occupabo, quod videri possum nunc id fecisse, quod fore stultum ipse praedixerim eo carmine, in editis XIII, quod inscripsi *ad Horatium.* In eo enim poscentibus versiculos cusos ejus rudiore, ut videtur, moneta me obsecuturum negavi ne

. . . . . stulto, bovis aemula rana,
Memet disrumpens nisu, nova fabula fiam.

At plane alia res est. Nunc enim quod suscepi, non est imitari artis formam et quasi characterem, stilum, versus Horatii in iis, quae scripsit sermoni propiora; sed ejus personam sustinere in carmine, cujusmodi nullum extat ipsius exemplum; quodque dum longe subsistit infra lyricos ejus modos, renuit tamen demitti ad saturae Lucilianae humilitatem, omnesque respuens laetitias ac jocos, nihil eget illius latitantis acuminis ac salis,

Urbem quod saperet festivam, aulamque dicacem
Ingenue,

quod praecipue me non posse exprimere tunc sum professus.

Itaque omnis incoepti mei difficultas erat non in imitatione, sed in quadam quasi divinatione eorum, quae verisimiliter Horatius extrema aetate excogitare potuisset atque adhibere ad solamen Augusti in morte Maecenatis. Quod nihilominus non deerunt, qui non probent me conatum; qui si ideo aspernabuntur, quia male praestiti, nihil habeo, quod respondeam. Sed erunt, qui tantummodo mallent id a me factum Italicis versibus; quos orabo ut aequiore animo sinant suae ipsius unumquemque indulgere voluptati, quae sit honesta. Erunt qui propterea reprehendent, quia nullos omnino volunt versus jam latine edi; qui non sunt in hac epistola redarguendi, quam non legent. Sed tibi me gratum facturum puto, si quaedam adscribam, quae mihi videntur non ad desideria ac voluntatem docte aut callide cogitata, sed ad veri-

tatem perspicue. Pleraque enim in quaestione de lingua a scriptoribus eligenda ad speciem tantum sunt atque ad rhetoricam facultatem flagrantibus studiis et quasi factionibus agitata, neque ad rem faciunt. Ut enim cetera omittam, qui locus in posterum latinis literis in institutione puerili sit relinquendus, non hujus, neque adeo expeditae quaestionis est: adhuc autem certe eas nescire eruditis in magna orbis terrarum, eâque expolitiore parte non licuit. Quod autem vellent quidam eas coli a nobis eatenus modo ut intelligamus, praeterquam quod id instituta plerarumque civitatum non consentiebant, a ratione abit longe. Quae ut percipiatur, animadvertendum est linguae cujusque cognitionem duabus constare quasi partibus, analogia et usu, quarum prior non est explicita nisi doctorum ingeniis, quum ejus notitia quaedam involuta in usu, et quasi latens, vim tamen habeat in significatione praecipuam, et utilitates ma-

ximas. Ei debemus quod ingentem verborum copiam mediocris memoria facile teneat, ei quod plerumque dicere possis, quae nemo ante, atque eadem, quae saepe alii, dicere nove. Quod vero nunc volo, analogia praestat ut ingenio ac doctrina citius nunc ac minori opera facultas comparetur scribendi latine probabiliter, quam recte ac vere intelligendi scriptores Latinos, non dicam omnes, sed vel solius aureae quae celebratur aetatis; quia Latina analogia, qualis in libris adhuc cernitur, ac subtilius multo et rectius nunc multorum studiis est percepta, quam a Caesare potuerit explicari, quamquam fax est ad intelligendum peraeque atque ad scribendum necessaria, non peraeque etiam sufficit; sed veterum interpretatio longe majorem aliam poscit notitiam et verborum et rerum. Ut bene intelligas libros, quoquot supersunt elegantioris aevi, nihil ignores oportet, unde eorum vel unius loci pendeat intellectus;

quod paene infinitum est: ad scribendum satis est scire, quibus utare. Sed qui nobis adversantur, ii quid sit latine scribere vel nesciunt, vel simulant se nescire. Aio igitur vocem scripto partim praestare, partim valere minus, at eumdem omnino scriptioni ac dictioni finem esse propositum: quem qui consequitur, is bene aut scribit, aut dicit. Ambo contendunt ad quamdam in alienas mentes quasi incursionem, ut certo signorum instrumento, sive literis, sive sonis, ideas excitantes quascumque juvet, efficiant quod volunt in animis sive legentium, sive audientium. Quare ut bene scribas aut dicas prima ac potissima ratio semper habenda est animorum, in quos cupis invadere; atque in delectu verborum spectandum quam sint in eorum mentibus vim habitura, quum singula, tum conjuncta. Unde primum patet non esse vocabula eadem omnia ad omnes libros adhibenda vel improbanda; quandoquidem

alios alii libri sibi poscunt ac sperant lectores non iisdem omnino imbutos literis, nec peraeque. Tum intelligitur ab iis vocibus et loquendi modis fere semper abstinendum, qui rarioris sint usus, nisi ea vi atque significatione, quam habeant ab analogia. Quae quo pertineant in scriptione latina, longum esset enucleare; nec debeo; quum satis sint indicata ut perspiciatur, non modo nullum opus esse eorum, quae jam nemo sciat, sed eorum, quae sunt nunc in censu latino, cognitionem haberi posse, quae in scriptore sit nimia, ni caveat: quum contra nulla unquam tanta comparari possit, qua majorem non desideres ad veteres illos aureos penitus cognoscendos. Itaque fit ut dum his legendis pauci evadunt revera satis idonei, plures aliquam nanciscantur latine scribendi facultatem, intelligendi horum scripta quamplurimi; quibus quum non idem omnibus sit sermo vernaculus, com-

moditas existit scribendi ad multos, quorum aggrediendi mentes animosque potestas nulla tibi foret lingua tua vernacula. Quid autem a ratione magis absonum quam, non dicam postulare, sed sperare ut cui suppetat instrumentum ac modus efficiendi aliquid, quod et liceat, et juvet atque delectet, is a sua se abstineat aliorumque utilitate? Nam si dicant non se nolle latine umquam scribi, sed contendere id plerumque non expedire, jam alia plane haec admonitio est a sententia, quam refutavi, et in quaestionem incidit infinitam, quum quid cuique expediat videre nequeas, nisi quid quisque spectet, scias.

Quod autem pertinet ad scriptionem carminum, equidem ejus studium non commendabo, a quo potius adolescentes arbitrer deterrendos, ut pauciora sint *saecli incommoda*, pauciores male sibi consulant: quum nimia censeri jamdudum possit, quae

libris editis suppetit, facile cuique parabilis, praestantium poëtarum copia. Et nihilominus dulces musarum illecebrae, incensusque in lusibus inutilibus eximiae laudis amor multos faciunt miseros, multos ineptos, quosdam etiam insanos. Sed haec, et quae plura dici possunt ut a cultu poëseos juventus studiosa retrahatur, non Latina magis spectant carmina quam Italica, aut Gallica; et, si vera quaerimus, quae consequantur, studium versuum condendorum non damnabimus, nisi quod sit revera inopportunum. De cujus opportunitatibus universe dicere non est mei propositi. De poësi latina satis est animadvertere sine ejus cultu aliquo Romanas literas non addisci; qui tamen cultus, ut a plerisque fit, longe infra facultatem subsistit latini carminis in lucem publicam emittendi. At non propterea qui eo pertingat, semper nimius. Multus enim quamvis et longus, vix antiquis sufficit interpretandis

atque emaculandis: quidquid autem accedat, oportet, ut Romanos vates non intelligas modo, sed aemuleris, id ab ingenio efflorescit. Plura non addam perinde invidiosa; quum praestet profiteri, ingenio quod tribui, non stulta id opinione dixisse, qua ingenio minus valere putem, quicumque versibus non dant operam. Ingenii spectavi non praestantiam omnimodam, adeoque invidendam, sed habilitatem quamdam atque a congruentia propensionem ad musas, qua non admodum pauci, fortasse miserandi, earum in conspectu ludoque versari aliquamdiu nequeunt, quin ipsarum amore incendantur, et conentur versibus aliquid. Atque haec quum sperem tibi satis futura, atque omnibus, quorum in animos incursionem facere nunc sum latinis copiis aggressus, dulcissime LUDOVICE, vale.

Dabam Augustae Taurinorum, III Idus Iunii, a. MDCCCXII.

EPISTOLA HORATII AD AUGUSTUM

IN MORTE MAECENATIS.

Quo nunc te officio solari, Auguste, doloris
Vim tantam mulcere tamen quo carmine quibo?
Saevius eximii qui sim perculsus amici
Morte, magis qui te si longe atque unice amabat
Dignum adeo, et laetum benefactis vincere, quae sors
Est tua, scis quanto quoque me complexus amore
Multa, nihil sperans, et fecerit ipse benigne
Semper, et id summum, quod me tibi tradidit. O! cur
Hac anima Libitinae animam solvisse redemptam
Non est fas? Quamquam revocari non cupit illa;
Et satius multo est, olim quod verus, opinor,
Tunc vates sum pollicitus, prope persequi averna
Praevectum cymba, quo me feret invalidum jam,
Inque dies gravius fractum festina senecta.
Mox ergo ipse etiam mox te levis umbra revisam,
Maecenas, jungarque tibi, dilecte, fruarque
Perpetuo jam te, superest si Manibus ullus

Sensus. At interea num te, quod, quatenus aegri
Concessere artus, tibi sit feliciter acta
Fabula ad extremum, te fessa aetate podagrae
Ereptum, et saevo ludo vicibusque dolebo
Fortunae? Aut quamvis laudando in funere lessum
Me facere est rectum, me nempe Licymnia grato
Ne minus esse animo putet, et non pectore vero
Dilexisse virum, prae oculis quem saepe meis mî
Carum dicebam? Vel ut unus forsan et alter,
Qui bonus aspiciat lacrimantem, commiseretur,
Quod jucunda mihi, quod sint tot commoda adempta?
Atqui non misera, sed forti his mente carendum est;
Atque optanda venit mihi jam pax una sepulcri.
Tunc, Caesar, memini, tunc indulsisse dolori
Nos decuit, quum mirificas mors abstulit uno
Tot spes in puero, quo non Octavia nato,
Non tam tu genero, tua non tam Julia sponso
Orbati, Nemesim sensisse potestis acerbam,
Quam late una orbi minitans gens Romula toti,
Quae sibi magna nimis spondebat ab indole tanta.
Quamquam vel tunc insanos compescere questus,
Et lacrimas poterat pietas abstergere inanes.
Tristia namque bonis Acherusia numina nulla est
Credere fas. At ubi hîc superis Fors addita divis
Duplex Circaeas celebrat pulvinar ad oras,
Omnipotensque homines fatis exercet iniquis,

Nil, quod non metuat, vivit dum quisque, sinistri est;
Nec quicumque nitens oritur sol, occidit idem.
   Emicuit frustra pulcher flos ille, decusque
Romanae sobolis. Nunc at, si Parca dedisset,
Qui, qualisve foret, quis scit? Num dignus adhuc, quem
Majorem velles privigno, qui et gener omni
Te studio colit, et magna modo clade Sicambris
Perdomitis, albos aget ad Capitolia mannos?
Et quid, si pietate quidem, qua te fuit erga,
Viveret eximia Marcellus, nec minor ulla
Laude animi; assiduis vexato at corpore morbis,
Audires finem sibi poscere inutilis aevi?
   Illi igitur bene consultum, si Juppiter ulli
Consulit, haud dubites, cui venerit ultima cumque
Ante dies, gravius quam quidquam, qualia multa
Incestant, heu! saepe adeo vitamve, obitumve.
   Nempe, ut vita, obitus non est miserabilis omnis;
Cui quod inest vulgo miserum, timor unus inanis,
Jugibus hunc sapiens studiis pepulisse laborat:
Tu vero, avulsum primo felicior ausu
A puero infensis assuesti spernere in armis,
Perque tot irarum insidias, recidivaque bella
Nulla umquam pavitans Divi ad vestigia patris.
Quem misere haud equidem fatear cecidisse, retectis
Confossum extemplo fidentia pectora sicis:
Quum mage parcere ovans, quam debellasse, Quiritum

Servator, Patriaeque Parens, jam, quod super unum
Poscere erat, Crassi opprobrium, captasque cohortes
Ulturus, scelere hanc praecidi sic sibi laurum
Vix potuit semel ingemere, atque evasit ad astra.
Caedis at auctores miseri! qui errore scelesto
Ingrati se deceptos doluere, furens quum
Tota ruit Romana iterum Res civica in arma:
Ipsi, interdicti, Patria damnante, aqua et igni,
Fraude sua cognato orbem videre cruore
Undantem, donec devicti, caede sua se
Supplicio eripuere: salus quae fortibus una,
Queis licuit. Verum, pro Juppiter, et Jovis omne
Concilium! quae haec est Fortunae tanta potestas,
Ut contra interdum sit forti summa salus nex?
Sed culpare Deos nolim, producta tumentum
Stultitiae plectendae quum veniat quoque vita,
Humanae quos immemores ita sortis, ubi aura
Adspirat, magnumque putant quod forte paratum est,
Indignor: stolidum ut juvenem quum vidit eburna
A puppi, magnis tum classibus imperitantem,
Neptunus sibi equina, humanaque porricere exta,
Seque suum multa genitorem voce vocanti
Subrisit. Sed enim novus hic Neptunius heros,
Qui felix saepe ancipiti in certamine adhuc stans
Te contra potuit praeclaro occumbere fato,
Te fugiens tandem, exutus legionibus, usta

Classe, amens quae non fecitque indigna, tulitque,
Multa dolens, desertus, inops, contemptus, et hosti
Denique se dedens, frustra supplex, inhonestam
Ut mortem oppeteret domino pejore jubente?
Quando is, mancipium reginae pellicis, haud vir,
Se genitum majore Deo tamen ipse ferebat,
Frontem hedera implexus, thyrsumq; rotasq; et habenas
In thiaso Pharios per lucos alter Iacchus.
Evoë, Bacche pater! Quam longe at gloria cessit
Haec vesana, Deos ubi dux atque Actia fata
Excors ante cita fugit rate, quam sua terris
Vel pelago victa arma forent! Qui luce suprema
Saltem conspecto melioris vulnere servi,
Certior ipse suae didicisset munere dextrae
Eripere infandae Fati se se ocius irae
Altius haud molli mucrone in viscera adacto:
Non etiam misero interitu illaudatus abiret.
Omnis ab adjunctis adeo laus, noxave mortis.
Quae votis inventa tuis pulcherrima, Curtî,
Fertur adhuc caelo: quaeque addita quando animantum
Cunctorum est vitae, senii et spes una caduci,
Haud mage quam gigni sane ipsa malumve, bonumve est.
Idque unum refert, quale uni cuique det aevum
Fati gnara trium, si qua est, colus illà sororum:
Non Lachesis qua prima suum, quave Atropos hora
Captet opus. Quid enim? Saturno rege creari

Deteriorne fuit quam nunc sors, propter id unum
Saltem, nos quod mors rapiet tot serior annis?
Haecque pigenda ideo, modo quod jam venerit aetas?
Atqui sive gravis Lethaea ad flumina luco
Aura silet tetro, sive otia laeta foventur,
Nulla illic certe mora nos diuturnior anget,
Quam venient extrema hominum qui aetate nepotes.
Nec modo non potior, quo serior occidat, at nec
Quo vitae a primo distet plus vesper eoo.
Nam saevis quae mersa malis, corpusque animumque
Sors proculcatum premat excrucietque frementem,
Speque et ope haec una, vitae brevitate, levatur.
Ac velut in tabulis, pictorum quotquot ab arte
Laudantur, vel saepe etiam ridentur, et aera
Nulla merent, major non quaeque et pulcrior: immo
Interdum minimam anteferet vel Pollio, vel qui-
cumque aequo judex Jove. At est quum pura paranda,
Protogenes quam quis pingat, tum tu mediocre
Ingenio spatium praeberi artique jubebis
Optime. Ita optandum virtuti non nimis arctum
Tempus. At exactum quando est jam longius, ut mî,
Quid morer ut sensim peream imbecillus et excors?
Dumne animo quicumq; male error adhuc latet, omnem
Eripiat multae Chrysippus acumine chartae?
Spe nempe haud stulta. Plura est addiscere semper:
Ac senior fiam fortasse et doctior, etsi

Subrepit canos oblivio. Sed sapiens quî
Jam magis, inque dies, qui multos irritus annos
Fortia conatus, refluo mox deferar aestu?
Si vero laudem spectes, quae carmine parta
Sit mihi fors longum non contemnenda per aevum,
Nec meliora queam jam pangere, plura neque optem.
O utinam nunc ergo eadem mihi mitia fata
Interitum properent lenem, tibi qualis aventi,
Maecenas, venit morosi hora ultima morbi.
O utinam jam jam Esquilias elatus ad ingens
Tam cari bustum cineris, sim proximus urna
In parva cinis exiguus. Sanctum hoc, bone, votum
Praestes, oro, Auguste: tuo data munere amicis
Manibus una domus societ quodcumque futurum est.
Ne tamen interea tanta dulcedine, tanto
Talis me orbatum fratris, dicamne parentis
Praesidio, abjecta ne spe, ne mente putato
Flere ideo; qualis matre abscedente puella
Bimula, adhuc blandis adsueta foverier ulnis,
Nondum certa solo bene sat vestigia ponens,
Maternam tenera pallam dimittere dextra
Nondum audens: quae se solam simul atque relinqui
Praemetuit, matrem, jam primos uvida ocellos
Advertens, matrem inclamat; mox impete cunctus
Erumpit lacrimarum imber: conversa, renidens
Frustra se genitrix spondet jam jam redituram:

Illa tamen longis rigat in singultibus ora.
  Non me desertum queror, infractusve fatisco.
Sed tempestivos mihi jam nunc adprecor ipsi,
Quos adiit portus dudum poscente carina
Felix ille animi, felici et sidere natus.
  Namque haequum geminae sint, utraq; causa salutis
Mirifice ingenium fortunaque conspirarunt
Semper in uno illo vere optimo et indole prima,
Et doctorum opera, studiisque et moribus, et quo
Praestabat sensu Veri, Pulcrique, Bonique;
Recta videns, laetusque ipse, et jucundus amicis:
Utilis idem etiam vel maxime, ut impiger, acer,
Dexterque atque agilis, celeri tam sanguine quam vi
Mentis: non sapiens ignava per otia, nomen
Pallium uti attritum faceret, promissaque barba.
Fine Voluptatis re vera at singula cernens,
Ambitione procul, volupe esset quod sibi semper
Atque aliis, aliquid properabat, amabilis ipsis
Deliciis, visus quas affectare severos
Leniter irridens, agitant qui plurimi inepto
Accincti studio divina ut munia nugas.
  Dotibus hisce animi, cultuque, et utrâque, camenis
Maxima quae Graiis, suppar quae gratia nostris,
Te forte oblatum cepit non serus, et ipse
Captus amore tui, sanctoque in foedere gaudens
Dulcis amicitiae adstringi, qua nobilis olim

Non Pyladae laudem concederet, aut tibi, Theseu;
Ausus et ipse omnem dare opem mentisque, manusque,
Audentemque sequi summa in discrimina amicum.
Tantum haud Pirithoo comes ille, vel ibat Orestae,
Sed tibi, cujus erat rebus succurrere fatum
Funditus eversis, atque aurea condere saecla
Auspiciis ineunda tuis, quibus et tuus ipse
Pervicit tandem, subiit quaecumque vel armis,
Vel retegenda domi sollers fortisque pericla;
Fortunâque potens tua, et ultra vota beatus
Omnigenis laetam meritis, coetuque colentum
Laude omni eximio, vitam traduxit: eratque
Nil super, optaret sibi quod praeclarius, ex quo
Te nutante inter quod pulcrum erat, hoc specie, hoc re,
Restitit Agrippae, speciemque refellit honesti
Vero consilio, Roma est quo sospes et orbis.
Nam quae, pro Superi! tua si linquebat habenas
Dextera pacatae, sed adhuc nimis, heu! male sanae
Romulidum gentis, quae sors foret? Ah! tibi numquam,
Ah! numquam redeat civilis laudis et otî
Tam male blandus amor. Memori fidissima semper
Corde tene, tibi tum quae singula obivit amicus
Optimus: hac longum meritus tibi mente colatur,
Quem lugere nefas, nostris qui vocibus orat,
Ut, quod ovet sibi deberi, libeat tibi laeto
Praesidium Populi seros producere in annos.

ADNOTANDA

Ad versum 20 *podagrae*. Poëtice pro *morbis*. Species pro genere.

Ad v. 23 *Licymnia*. Terentiam intellige Maecenatis uxorem, quam interpretes, in primis Bentlejus, censent eo nomine indicari ab Horatio l. II., ode XII. v. 13, et 23.

Ad v. 42 *Duplex Circaeas*. Duplex ambigue dicitur Fortuna, de cujus templo apud Antiates vide sis Josephum Roccum Vulpium in *Veteris Latii Profani* l. IV. capite V.°, ubi de Fortunis Antiatibus, sive mavis de duobus in templo Antiati Fortunae simulacris copiose disputat. De Circaeis plurima Corradinus in ejusdem *Veteris Latii* libro praecedente. Cur autem Circaeae potius hic quam Pomptinae vocandae fuerint orae *da Monte Circello a Capo d'Anzo*, nihil opus est docere.

Ad v. 51 *mannos*. Quamquam Isidoro *mannus* est *equus brevior*, et in glossa quadam Βούρριχος, credo *mannos* potius fuisse equos graviores aptos essedo trahendo, *chevaux de carrosse*, quales primum a Gallia Romani habuerint, cujusmodi quoniam Romae non ita pridem complures erant a Frisia, omnes vocabantur *frigioni*. Nam in epistola Senecae LXXXVII, ubi *omnibus obesis mannis* equus a Catone defrictus memoratur praeferendus, *manni* profecto non *parvi equi* sunt, ut ibi interpres adnotat, sed magni potius, ac certe qui magni essent pretii, qui luxum proderent ditiorum. Id evidenter sententia postulat Senecae: neque si secus fuisset, suam Horatius atque omnium indignationem recte expressisset, quod libertus Magni, Maenas, Sexti Pompei proditor, Appiam *mannis* tereret. Vide Epodon IV. v. 14. Et quum bis alibi Horatius (III. od. XXVII. 6, et I. Epist. VII. 77) Lucretius, Propertius, Ovidius *mannos* usurpent saltem semel, nusquam id vocabulum adhibitum comperies ad contemptum. Puto igitur serius factum, quoniam jam Martialis aevo mannulos mulio habebat, ut vocis tandem usus obtinuerit sequiore significatione, quam grammatici diverse tradiderunt, quia veram primitivam ignorabant.

Ad v. 73 *evasit ad astra.* Quamquam alias Horatius non putabat sibi religiosam ullam credulitatem apud Augustum esse magnopere simulandam, de ejus tamen patre Divo haud dubitanter vatem loqui par erat, ut I. od. XII. v. 47. *Micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores.* Satis nota vulgo sunt, quae Suetonius habet ad finem Julii Caesaris; neque huc congeram quaecumque a Romana historia facile cuique est repetere; tantummodo indicabo, inferius qui carpitur,

Ad v. 88 *stolidum juvenem.* Sextum esse Pompejum, Magni filium. Iis autem intelligendis, quae deinde memorantur de M. Antonio Triumviro,

Ad v. 108 *conspecto melioris vulnere servi* etc. Scias, oportet, quod in Plutarchi Antonio §. 77 (Lipsiensis edit. Reiskii t. V. p. 233) admirabile perhibetur exemplum fortitudinis et fidei in Triumviri servo spectatum, cui nomen erat *Ero*, qui olim volenti pollicitus se, ubi opus esset, herusque juberet, operam praestiturum ei interficiendo, quum rebus desperatis Antonius promissa repeteret, destrictum ensem extulit quidem, quasi jubentem percussurus, at averso vultu semet fodiens confecit. Quem conspiciens collapsum Antonius suam et ipse manum inferre sibi induxit animum, ferrumque adegit in viscera, at vulnere, quod non citam attulit mortem. Itaque nonnulla, quum miserabilia, tum indecora adhuc et fecit, et perpessus est.

Ad v. 194 *Accincti.* Maecenatem carpit *discinctum* Seneca, epistola CXIV; qui etiam epist. CI in hominem invehitur, a quo ipse leniter atque urbane fuisset irrisus, tempora si tulissent. Maecenatis non suscipio defensionem, de quo legi possunt, quae vera pleraque demonstrata sunt in Gallicae Inscriptionum Academiae Commentariis, tom. XIII. p. 81 *Recherches sur Mecénas par M. l'Abbé Souchay.* Et juvabit nihilominus in ipso fonte cognoscere adversas invicem Agrippae ac Maecenatis ad Augustum orationes luculenter adornatas a Dione Cassio, a libri initio quinquagesimi secundi, pag. 661 editionis Hamburgi a. 1750 ad p. 692.

AUGUSTAE TAURINORUM.

EX TYPOGRAPHIA VINCENTII BIANCO
IN AEDIBUS ACADEMIAE
1812.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 083 607 8

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 083 607 8

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 083 607 8